



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 49. Podiebracius Rex Bohemiæ salutatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. XLIX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.*Podiebracius Rex Bohemiæ  
salutatus.*

Podiebracius sibi quoque succedendi jus competere contendebat, eoquod & ipse indigena esset, ac insuper a multis retro annis Regni Gubernatorem egisset: quamvis vero hæc ratio haud magni momenti videretur, nihilominus apud Ordines Regni plurimum valuit, præprimis instigante Rochisana, præcipuo hujus electionis promotore, cui haud ignotum erat, hunc Competitorem suæ sectæ nequaquam obluctaturum. Hæc ipsa ratio ceteris prævalere videbatur. Igitur Cochl. Hist.  
 Anno millesimo quadringentesimo quin- Hussit. lib. 12  
 quagesimo octavo, die quinta Martii Po- Dubrav. l. 30  
 diebracius Rex Bohemiæ pronuntiatus, Papiens lib. 6  
 & a duobus Episcopis ex Hungaria evocatis in die Ascensionis Domini unctionis est: Hic quamvis Hussitica labe clam infectus esset, nihilominus Pontificis gratiam aucupaturus, in coronationis suæ solemnibus Sedi Apostolicæ, ejusque auctoritati obedientiam in sacris ac fide Ecclesiæ spopondit. Electus est nullo ferme contradicente, ac potissimum suffragiis in eum concurrentibus. Equidem Catholicorum nonnulli Podiebracio suffragari recusabant, veriti, ne electus